



**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

Cicero, pro
Sextio.Proverb.
30, 22.Cicero pro
Sextio.

bus, stultos, improbos, mortalium fæces, erectâ ceruice
lætos alacresque volitare. non quòd sapientis magnope-
re intersit, quo loco aut numero habeatur (virtus enim
per se lucet in tenebris, & pulsa loco manet, splendetque
per se semper, nec vllis vinqum fordibus obsolescit)
sed interest inprimis Reipublicæ. Certissimam enim
pestem esse Reipublicæ pronuntiat Antisthenes, sicubi
virtutis & sapientiæ præmia stultitia & ambitio possi-
dent. Et ipse noster Sapiens orbem concuti affirmat per
feruum, cum regnauerit. Sic enim res habet, vt si gla-
dium paruo puero, aut imbecilli seni aut debili dederis,
ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel for-
tissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsâ & ferri viri-
bus vulnerare: ita cum seruis, fatuis, indignis, Magistra-
tus tamquam gladius datur, qui per se pungere nemi-
nem vinqum potuissent, hi publicæ potestatis nomine
armati, Rempublicam contrucidant. Interest etiam pri-
uatorum, quorum fortunis imminent serui, quorum fe-
licitatem perturbant fatui, quorum calamitatibus insul-
tant improbi. Quinimò interest & ipsius Principis, vt
rectè docent ea quæ subiicit Ecclesiastes.

S E C T I O Q V A R T A.

E C C L E S I A S T E S.

- VERS. 8. Qui fodit foueam, incidet in eam: &
qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.
9. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui
scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

ESTIS iò Superi! calique Astræa tribunal
Supplicia factis digna dispensans tener.

Et

Et bene, quod fructus carpit consultor iniqui
 Consilij, & ipsum redit in auctorem scelus.
 Quisquis enim scrobibus grassabitur insidiosis,
 Cespitem viarum abrupta mendaci occulens;
 Hunc opera in pretium prius ipse vorabit hiatus,
 Fraudumque fossor damna, quæ parat, feret.
 Sanguine Pigmalion fraternas imbuit aras,
 Et quod patrare docuit Anthæum, tulit.
 Sic multos fluuij cursu qui stante per annos
 Litare docuit hospite infenso Ioui,
 Futilis occubuit vates Nilotide ripæ,
 Primamque seuis victimam dedit sacris.
 Quis furor, indignis populi mandare secures?
 Stolidisque seruis publicæ clauum rei?
 Queis nihil est pensi, nulla est reuerentia legum:
 Et quidquid animo libuit, actutum licet.
 Queis ubi mens tulerit pæsumdare publica, honoris
 Auctorem in ipsum prima cudetur faba.
 Sic ubi latrones hortorum septa reuellunt,
 Coluber nocentum vulnerat morsu pedes.
 Aut ubi quis lapides subduxit mœnibus vrbis,
 Cumulo dehiscens machina auctorem obruit.
 Aut qui ligna secat legum, tabulasque refigit,
 Ut immerentes edito locet gradu,
 Saucia crudeli gestabit pectora luctu,
 Dum cuncta secum viderit clade obruta.
 Melloni quæ causa fuit populoque Sichemi,
 Diadema rhamno germi spurio dare?
 Sed suus admissio sceleri ne deforet ultor,
 Rex ipse flammæ expiatrices dedit.

Iudic. 9.

PROSA